

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**De dysenteria liber sistens praeter completam
dysenteriarum in annis 1778, 1779 et 1780**

Birnstiel, Franz Heinrich

Mannhemii, 1786

Historia octava

[urn:nbn:de:bsz:31-415928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-415928)

nigricans; sensuum externorum defectus; convulsiones periodicæ; respiratio anhelosa; oculi pulverulenti; fœtor; frigus, & sordes universi corporis. Absolvebatur Prognosis die

Decima octava hora quinta matutina, ubi æger præsentibus, & non opinantibus parentibus, diem placide reddidit

HISTORIA OCTAVA.

Hægelin procera, & gracilis staturæ virgo, annos viginti novem, vel triginta nata, post perpeßos hætenus per decem dies sævissimos, dysenteriae cruciatus, & varia, e spirituoso- rum classe ad mitiganda tormina, ad reprimendam, & corrigendam alvum tenesmoideam, repetita auxilia ut ajunt domestica; pulverem glandium quercinarum nempe, ex spiritu vini; panem tostum vino rubro ebrium, nuce moschata inspersum, in, & externe adhibitum; ceram hispanicam, cum semine carvi fativi, itidem ex spiritu vini sumtam, ac tandem Theriacam; auxilium meum

Vigesima octava Augusti imploravit. Aderam ei pallidæ, trementi, emunctæ; audivi eam de deglutitione difficili; de ructibus nidorosis cum vomituritione, & summa nausea;
de

de siti indelebili; de agrypnia; de abdominis ad omne punctum præduri, & dolentis, præcipue tamen ad cordis scorbiculum; de torminibus non interruptis; de tenesmo vix interrupto; de Ischuria denique flebile lamentum instituire.

Vidi tristes ejus oculos; respirationem labe-
factatam; decubitum, seu potius sessum in
fella familiari, ubi fere semper degit, adeo
contractum, ut genua sua, ori fere adprimat;
vidi linguam fusca, crassaque fœce tectam;
alvi recrementa ichorosa, quibus hinc inde
thrombulus sanguinis innatat; sensi horum,
animæ, & reliquorum cutis spiraculorum ef-
fluvia cadaverosum odorem spargere; retigi
universum cutis regumen siccum, urens, &
præ ariditate scabrum; pulsus denique par-
vum, celerem, & inaequalem. Vomuit ægra

Vigesima nona binis vicibus ingentem co-
piam bilis putrilaginosæ ab exhibita Ipecacuan-
ha, absque ullo effectû; cumque colluviei pu-
tridæ eliminatio ex rubo intestinali indicaretur,
sex doses hujus pulveris, superbibendo decoc-
tum tamarindinatum, melle depurato edulco-
ratarum deglutivit. R. Pulveris cremor. tartari
scrupulos duos, rad. rhei v. el. grana octo,
det. fig. capiat omni hora unum.

D 4

Alvus

Alvus excernebatur quidem copiosior, verum morti propius tradita est; ipsis his vespere enim, sudoribus frigidis madet, petechiaeque lividae, interiorum brachiorum faciem, & summum pectus, dispersae adhuc obsident, pulsu minimo, celerrimoque, existente.

Trigesima eidem evacuandi medelae institi, pulveresque, ope pulpae cassiae in electuarium converti, largum feri lactis tamarindinati potum injunxi, quibus id effeci, ut

Trigesima prima singultus cum summa anxietate succresceret, caeteris ne hilum quidem mutatis. Jam alio curam direxi, & crebris hucusque adhibitis enematibus mucilaginoso oleosis, Camphoram superaddidi, dum interim sequens parabatur: ℞. infus: florum arnicae uncias sex, mucilaginis gummi arabici spiss. uncias tres, Camphorae scrupulum unum, Sal armoniac. depurat. drachmam unam, Syrup. cort. peruv. unciam unam & dimidiam. Capiat omni hora cochliaria duo.

Prima Septembris una cum abdominalium dolorum magna remissione, excretio alvina frequens, & involuntaria accessit; etiam urinae via laxata est, stranguriose tamen; sitis, cum praecordia exurente sensu, insuperabilis adest; quibus se, incuria de recuperanda sanitate;

sudor

sudor viscidus cum petechiis copiosioribus, latioribus; singultus frequentior; frigus extremitatum; pulsus tandem celerrimus intermittens, sociarunt. Constantes hi mortis appropinquantis nuntii,

Secunda Septembris magis tamen evecti aparuerunt; facies enim tota quanta hipocratica, cum naribus interius siccissimis, nigris; labiis oris lividis; *ut communiter in iis, qui ex gangræna ventriculi pereunt*; oculis, dentibusque omni fulgure, & candore orbatis; lingua nigricante, arida, ex succa; siti penitus silente; petechiis amplissimis, confluentibus, plumbei coloris; perpetua dormituratione; infamia alvi ex ichore potissimum sanioso constantis, cui magna frustra membranacea inhaerent eliminatione; delirio suavi; frigore, seu potius universali corporis rigore; abdomine tamen indoloro, tumido, calido, & molli,

Die tertia matutina, inter aliquot lenes convulsiones, diem supremum clausurunt. Deteriorem foetorem, ac ille erat, quem tribus ultimis diebus ægra diffundebat, tota vita mea, nunquam probavi.

HISTORIA NONA.

Klotzin puella septem annorum, inter alios orphanotropii infantes, mitissimæ Dysenteriae

D 5

teriae